

Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Auctoris Ad RR. Patavinum Clerum aliósque eruditos Lectores. Parænesis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

AUCTORIS

AD RR. PATAVINUM CLERUM

aliósque eruditos Lectores.

PARÆNESIS.



Studium meum erga studia vestra non pauci lamentantur infirmatum, vel extinctum esse, ob retardatas has Decisiones de Venerabili EUCCHARISTIÆ Sacramento; quas tota hæc Patavina Diæcesis, pluresque aliæ virtutis emulæ præstolantur: Et jure quidem; nam lustrum evolavit sub silentio, quamvis triplici de causa; nimio scilicet pondere, quo in Vicarii Generalis munere premebar; longævis disputationibus ad firmandam concordiam inter utramque Mensam Episcopalem, & Capitularem habitis, quibus fui distractus, & corporis infirmitatibus, quæ subsequuntur sunt, & earundem Decisionum extensionem præpedivere. Nunc in lucem prodeunt, Altarium instar, quæ à Vobis pro sacratæ Hostiæ expositione adornantur, videlicet solemnî apparatu, ac multiplici candelabrorum ordine; hoc est Quæstionum Theologicarum, atque Canonicarum, materiam, formam, ministros, ac effectus Sanctissimæ EUCCHARISTIÆ concernentium: pluribus luminibus, atque lampadibus, antiquitatis Ritus circa Divinum hoc Sacramentum elucidantibus; Angelorum simulacris, munditiam tum ministrantium, tum suscipientium illud invenientibus: Florum pretiosis vasculis, amœnos casus, non fictos, sed factos, ad hunc eundem tractatum attinentes, decidentibus: Chymis suffutibus, suavisque odoramentis, exemplis nempe Sanctorum, qui amore Sacræ Synaxis exarserunt: tandem tapetibus, auleis, ac sacris Imaginibus; doctrinis scilicet variis ad utrumque forum spectantibus, ex Jurisprudentum, Philosophorum, Medicorumque fontibus haustis, quibus Prælati, Animarum Rectores, Confessarii, ac alii pii lectores erudiantur in his, qui circa Liturgiam, divinæ Mystéria eos decet agnoscere. Labore meum, aut verius labores vestros grato animo, juxta solitum, non diffideo Vos suscepturos: præsertim ob non vulgares Controversias, non pauca Decreta Apostolica; & frequentes historias sacras in hoc opere insertas; quibus & vestros intellectus instruere legendos & plebes vestras edocere, Doctrinam Christianam iisdem explanando, faciliè poteritis. Vestra me benignitas foreat; orationes, ac Sacrificia adjuvent, ut subsequenter de Sacrificio Missæ tractatum inceptum, quantocius perficere; & ad communem consolationem, studiosorumque profectum, typis mandare valeam. Interim in præsentî compilatione si quid incultum; si quid erratum reperitis, comiter excusate, corrigite, ac valete.

NOI REFORMATORI

Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la fede di revisione, & approbatione del P. Fr. Ambrosio Lisotti Inquisitore, nel Libro intitolato: *De Venerabili Eucharistia Sacramento: Decisiones Theologico-legales.* Autore Jo. Clericato Præposito, non vi essere cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimenti per attestato del Segretario Nostro niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo licenza, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle pubbliche Librerie di Venetia, e di Padova.

Data 10. Agosto 1696.

{ Ferigo Marcello Proc. Refform.
{ Afcanio Giustinian 2.º Kav. Refform.
{ Francesco Cornaro Proc. Refform.

Agostino Gadaldini Segretario.

IN.